

Ad Lectorem.

Cum, quas vides, Lector benevole, meditationes rei literariæ iis, quæ datum est, viribus inserviendi animo publicam ut viderent lucem meditarer, id te scientem fieri præprimis necessarium duxi, quod ista, quæ ferunt hæ paginae, eâ primum & præcipuè fini sint exarata, ut veras, reales easque accuratissimas demonstrationes, quales quidem in omni scientiâ requiruntur, etiam in Mathesi dari ad oculum demonstrarem. Quod quidem cum feliciter quàm adhibitis in auxilium tum Analyticis Aristotelicis, doctrinam demonstrationis singulari artificio signatè complectentibus, eamque exemplis ex Mathesi desumptis tantum non ubique declarantibus; tum Euclideanis, quæ meras ostendunt exercitè demonstrationes, Elementis fieri non posse deprehenderem, secutus utriusque ductum iis, quæ primam & secundam hujus tractatus absolvunt sectionem, præconstitutam tangere metam allaboravi.

Deinde verò etiam eò intendi animum, ut, quod non à nullis negari mirabar, Mathematicas disciplinas veræ Philosophiæ partibus accensendas esse & annumerandas ostenderem. Quod quidè ut alii plurimi eruditissimi viri lubentissimè fatentur, imò ipse Aristoteles, quem tamen in adversas trahere partes sedulò allaborant negantes, non rarò expressis verbis loquitur, ut cum VI. (al. V.) Met. c. 1 *ὅτι τρεῖς αἶν,* (inquit) *εἰσὶν φιλοσοφίαι θεωρητικῆ, μαθηματικῆ, φυσικῆ, θεολογικῆ:* ita ut ego quoque id dilucidius aliquantò demonstrarem, per omnes ire Philosophiæ partes, indeque Mathesin ipsarum exterminare finibus quàm impossibile sit, membratim patefacere, eâ, quæ tertia est ordine, sectione constitui.

Tertium autem, quod scire hîc benevolum Lectorem volebam, est, omnia ista, quæ de disciplinarum ordine, de